



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XI. De aliis, quæ possunt à peccatore mereri de congruo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

scque de aliis ; ergo in hoc modo orandi , & impetrandi aliquid intervenit meritum de congruo.

230. Dico 5. Hujusmodi actus tempore antecedentes justificationem, non possunt adquatè illam mereri : possunt tamen aliqua ratione proximè , & immediatè esse illius meritorii de congruo. Ita *P. Ripal. tom. 2. d. 87. num. 35. P. Arriaga tom. 4. d. 57. n. 20. & alii.* Probatur prima pars, quia indubitatum est, præter tales actus necessariam esse ad primam justificationem, aut contritionem extra Sacramentum, aut attritionem cum Sacramento ; ergo prædicti actus non possunt esse adquatè meritorii de congruo primæ justificationis.

231. Probatur secunda pars, nempe posse aliqua ratione simul cum ultima dispositione immediatè mereri primam justificationem : Primò, quia ut tales actus dicantur immediatè promereri justificationem, sufficit, quod eorum intuitu immediatè concipiat Deus affectum immediatum justificationis conferendæ ; sed Deus ex illis potest immediatè moveri ad justificationem tribuendam, in quâ dispositione contritionis, aut attritionis cum Sacramento ; ita ut voluntas immediata justificationis obtinendæ per ultimam dispositionem concipiatur ex intuitu illorum ; id enim significant sacra Litteræ, & Sancti Patres, dum eis operibus tribuunt justificationem, ut legenti, & consideranti eorum testimonia supra adducta patebit ; ergo &c.

232. Probatur secundò, idèd hujusmodi actus non possent dici immediatè promereri primam justificationem, quia necessariò debet intercedere dispositio contritionis, aut attritionis cum Sacramento ; sed hoc non obstat ; ergo &c. Probatur Minor primò, quia iustus immediatè promeretur augmentum gloriæ ; & tamen necessariò debet prius intercedere augmentum gratiæ. Secundò, quia contritio ipsa immediatè meretur de congruo remissionem peccati ; & tamen debet intercedere gratia habitualis. Tertiò, quia Christus Dominus immediatè meruit nostram justificationem, & gloriam ; & tamè necesse est interesse nostram cooperationem ; siquidem Deus ex meritis Christi immediatè afficitur ad ea dona conferenda, mediis operibus præviis ad illa ; ergo &c.

233. Probatur tertiò, quia oratio immediatè impetrat id, pro quo Deum immediatè orat ; sed peccator orat immediatè pro justificatione, & remissione peccatorum ; ergo illas immediatè impetrat ; consequenterque de congruo meretur. Confirmatur, quia licet prædicti actus non sint meritorii immediatè justificationis passivæ, quæ est infusio gratiæ, quatenus mediat necessariò contritio, aut attritio, poterunt tamen esse immediatè meritorii, saltem justificationis activæ, quæ est voluntas anticipata infundendi gratiam mediâ contritione, aut attritione ; quatenus Deus ex eorum prævisione immediatè decrevit illam infundendam ; ergo &c.

234. Oppositum tenet *P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 37. n. 13. & 19.* & alii, pro quibus : Argues 1. Nulla est lex infallibilis, quâ Deus conjunxerit eis operibus justificationem, sicut est ad illam conjungendam contritionem, aut attritionem cum Sacramento ; sed meritum exigit legem infallibilem Dei de conferendo præmio ; ergo talia opera non sunt immediatè meritoria de congruo primæ justificationis. Respondeo primò, legem Dei non esse necessariam ad meritum in actu primo ; & quoad sufficientiam, sed tantum ad meritum in actu secundo, & quoad efficaciam, prout supra diximus *d. 2. à num. 916.* nos autem hîc solam meritum de con-

Tom. 2.

gruo in actu primo contendimus.

235. Respondeo secundò, etiam ad meritum in actu secundo, & quoad efficaciam, non requiri legem aliquam antecedentem, & universalem, sed sufficere decretum subsequens, & pro libito Dei antecedens operibus ; sic enim iustus meretur de congruo auxilia efficaciam gratiæ absque ulla lege antecedenti, & universali infallibiliter annectente nostris operibus talia auxilia efficaciam, sed sola voluntate consequenti eorum prævisionem pro Dei libito ; talis autem voluntas consequens pro libito Dei sæpè adjungitur eis operibus ad præfinedam peccatoris justificationem.

236. Argues 2. Non potest eis operibus inesse meritum ad consequendam justificationem per ultimam dispositionem, quin simul mereantur de congruo auxilium efficaciam ad eam dispositionem, sive contritionem eliciendam ; sed opera peccatoris non possunt mereri de congruo ullum auxilium efficaciam ; siquidem opera iusti non illud merentur de condigno ; cum tamen habeant ex se tantam condignitatem ad illud præmium, quantam congruitatem possunt habere opera peccatoris ad illud promerendum de congruo ; ergo &c.

237. Respondeo negando minorem, ut ex infra dicendis constabit, ad cujus probationem dicimus, dari diversam rationem ; quia, iustum non mereri de condigno talia auxilia efficaciam per sua opera, non est ex defectu condignitatis ad tale præmium, sed quia tota suorum operum condignitas exhauritur in promerendo præmio augmenti gratiæ justificantis, & gloriæ, cum quo simul non superest eisdem operibus valor condignus ad aliud præmium gratiæ auxiliantis efficaciam, prout supra diximus : at verò opera peccatoris non exhauriunt suam congruitatem in retributione alterius præmii, sicque potest illa valere ad retributionem auxilii efficaciam pro libito Dei concedendam.

238. Argues 3. Non potest esse præmium unius operis, quod aliàs debitum, & annexum est alteri seorsim ab illo ; sed prima, justificatio ex lege Dei est debita, & annexa ultimæ dispositioni, sive contritioni seorsim ab illis operibus ; ergo hujusmodi opera non possunt illam immediatè mereri de congruo. Respondeo ultimæ dispositioni respondere primam justificationem seorsim ab auxilio efficaciam ad ipsam necessariò ; eis verò operibus respondere cõjunctionem primæ justificationis cum eo auxilio, quæ immediatè à Deo decernitur intuitu eorum actuum. Item eis actibus respondere anticipationem justificationis, quæ sine illis tam cita, & festina non dispensaretur à Deo.

SECTIO XI.

De aliis, quæ possunt à peccatore mereri de congruo.



239. Dico 6. Peccator per hujusmodi actus tempore antecedentes justificationem ex gratiâ factos potest mereri de congruo, ac immediatè novum aliquod auxilium, quo alium perfectiorem actum eliciat, & per hunc aliud auxilium ad alium actum perfectiorem, & propinquiorem justificationi eliciendum, sicque etiam ipsam justificationem mereri de congruo mediatè. Ita *P. Soar. cit. num. 21. P. Vasq. 1. 2. d. 218. P. Arriaga cit. num. 18.* & à fortiori *P. Ripal. cit. & alii.* Probatur primò ex variis Scripturæ locis supra citatis, in quibus hujus-

Ppp

hujus-

hujusmodi actibus, & operibus tribuitur vis merendi remissionem peccatorum, & impetrandi misericordiam, sive justificationem, ut tribuitur elemosynæ; jejunio, orationi, &c. hoc autem ad minimum debet intelligi de merito congruo justificationis, saltem mediâtè; ergo &c. Confirmatur, quia peccator per hujusmodi actus potest mereri de congruo, & immediatè primam justificationem, & remissionem peccatorum, ut diximus; ergo à fortiori poterit illam de congruo mediâtè mereri.

240. Probatur secundò ex Trid. *sess. 6. cap. 6.* ubi numerando varios actus, quibus primò preparamur, & paulatim ascendimus ad justificationem, docet, eos esse meritorios de congruo ipsius justificationis; hoc autem debet intelligi, saltem mediâtè, quatenus sic promerentur à Deo immediâtè altiora auxilia; ergo &c.

241. Probatur tertio, quia hujusmodi actus, licet ratione peccati, quod est in homine, non sint meritorii de condigno, habent tamen suam intrinsicam honestatem, sunt supernaturales, ex auxilio gratiæ, sicque Deo valdè placent; ergo possunt esse meritorii de congruo, ad quod non impedit status peccati, ut supra diximus, Deumque movere ex decentiâ, & congruitate ad danda immediâtè prædicta auxilia usque ad justificationem mediâtè promerendam. Confirmatur, quia unum auxilium potest immediâtè impetrari per orationem priori auxilio factam; ergo etiam de congruo mereri; siquidem hæc duo in via sunt conjuncta.

242. Dubium tamen est: Utrum peccator merens de congruo auxilia supernaturalia, mereatur, non solum sufficientia, sed etiam efficacia? Affirmativè. Ita *P. Ripal. tomo 2. d. 87. num. 37. P. Arriaga tomo 4. d. 57. num. 21.* & alii. Probatur primò, quia peccator potest utraque auxilia impetrare, ut fatentur Adversarii; ergo etiam illa de congruo mereri. Secundò, quia actus supernaturalis elicited à peccatore habet proportionem cum auxilio efficaci; ergo est illius meritorius de congruo. Tertio, quia id videntur suadere Scripturæ, & Sancti Patres locis supra citatis, ubi asserunt, elemosynas, orationem, & alios actus similes extinguere peccata; ergo &c.

243. Probatur quarto, quia meritum auxiliorum tantum sufficientium, non est ullius momenti: tum quia Deus omnibus illa dat absque ullo merito, ut concedunt Adversarii: tum etiam, quia illa non multum favent homini, imò esset quodam modo melius illis carere; siquidem tunc non ei imputaretur peccatum; ergo si Deus in favorem hominis peccatoris benè operantis dignatur aliquid concedere, debet ei donare auxilium congruum, & efficax, & non purè sufficiens.

244. Oppositum tenet *P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 37. num. 23.* & aliqui Recentiores, pro quibus: Obijcies 1. Justus non potest mereri de condigno auxilium efficax ad vitandum lapsum; ergo neque peccator poterit illud mereri de congruo ad resurgendum à lapsu; siquidem non minùs potens est justus ad merendum de condigno, quam peccator ad merendum de congruo. Respondeo concessio antecedente, de quo supra *d. 4. à n. 138.* negando consequentiam; diversa ratio est, quia opus hominis justi totum occupatur, & exhauritur in promerendo condignè augmentum gratiæ; ideoque mirum non est, quod ei non superfit condignitas ad promerendum aliud præmium, nempe auxilium efficax ad lapsum vitandum: at verò hæc ratio non militat in merito congruo hominis

peccatoris, ut supra diximus *num. 237.*

Instabis: Homo justus neque de congruo meretur prædictum auxilium efficax; ergo multò minus illud merebitur peccator. Respondeo primò cum *P. Arriaga cit. negando antecedens, quidquid alii minùs benè doceant. Resp. secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio proximè assignata est, quia actus hominis justi, licet ob dignitatè personæ sint aptiores ad meritum congruum, quam sunt actus peccatoris, cum tamen sint toti occupati, & exhausti in promerendo augmento gratiæ, & gloriæ, non videtur in eis superesse valor ad merendum de cōgruo aliud præmium: at verò actus supernaturales hominis peccatoris in nulla alia re promerenda occupantur, quam in promerendo de congruo illud auxilium efficax; sicque non est cur ad illud promerendum non sufficiant.*

Obijcies 2. Donatio auxilii efficaci est gratuita, & tota pendet ex libera Dei voluntate, & prædestinatione; ergo non cadit sub merito hominis; siquidem ejus actus non habet ex se proportionem cum tali beneficio. Respondeo negando consequentiam; neque enim est contra rationem meriti congrui, quod ejus præmium liberè à Deo concedatur, ut supra diximus, cum illud non concedat Deus ex debito, sed ex quadam decentiâ, & congruitate. Ad probationem dicimus, actum non habere proportionem ex se condignam cum tali beneficio, habere tamen congruam, quam solum intendimus.

Difficultas adhuc est: An, & quomodo peccator possit mereri de congruo bona temporalia? Advertes cum *D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 10. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 37. num. 26. P. Tanner. tomo 2. d. 6. quæst. 6. dub. 10. P. Arriaga cit. num. 17.* & aliis, hujusmodi bona temporalia dupliciter considerari posse: Primò, prout conferre possunt, aut etiam esse necessaria ad vitandum peccatum, aut salutem æternam consequendam. Secundò possunt considerari absolutè, & secundum se, prout huic temporali vitæ deserviunt. Hoc posito.

Dico 1. Hæc bona temporalia, prout conferre possunt, & esse necessaria ad vitandum peccatum, aut salutem æternam consequendam, possunt mereri de congruo ab homine peccatore. Ita *P. Soar. cit. P. Tanner. cit. P. Arriaga cit. & alii.* Probatur, quia hæc subsidia temporalia, prout sic considerata, computari possunt inter auxilia gratiæ ad vitam æternam conducentia; ergo eodem modo, quo peccator potest mereri de congruo cetera gratiæ auxilia, poterit à fortiori sic mereri hæc temporalia subsidia, quæ licet in se temporalia sint, sub eo tamen respectu sunt spiritualia, & quodam modo supernaturalia. Confirmatur, quia hujusmodi bona prout sic considerata cadunt sub merito condignum hominis justi, ut infra videbimus; ergo etiam sub merito congruum hominis peccatoris.

Hinc colliges ad tale meritum congruum caliam bonorū prout sic consideratorum, necessarium esse, ut actus meritorius de congruo, ut talis sit, ex fide, & auxilio gratiæ procedat, habeatque alias conditiones requisitas, & supra assignatas ad meritum de congruo, quas facile erit invenire in tali actu ad merendum de congruo talia bona sub tali respectu.

Dico 2. Hujusmodi bona temporalia, etiam secundum se spectata, possunt mereri de congruo ab homine peccatore. Ita *D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 10.*

art. 10. Cajet. Conrad. Medin. ibid. P. Valent. ibid. quest. 6. punct. 4. §. 6. P. Soar. cit. num. 26. & 28. P. Tanner. tomo 2. d. 6. q. 6. dub. 10. n. 247. P. Arriaga cit. num. 17. & alii. Probatur primò, quia peccator potest mereri de congruo hujusmodi bona sub respectu, & ordine ad salutem æternam consequendam, ut proximè diximus; ergo à fortiore poterit illa sic mereri secundum se spectata: tum quia prout sic sunt inferiora: tum etiam quia non sunt bona simpliciter, sed secundum quid.

255. Probatur secundò, quia hujusmodi bona secundum se spectata, & ut utilia ad necessitates hujus vitæ sublevandas, abstrahendoque ab æterna beatitudine, sunt verè quædam hominis bona, ac licitè expectantur; sed opera naturalia hominis peccatoris moraliter bona, licet non habeant rationem meriti de congruo respectu alicujus boni supernaturalis, prout supra diximus, sunt tamen ipsa satis proportionata ad temporalia bona de congruo promerenda; ergo &c. Confirmatur, quia peccator per hujusmodi opera moraliter bona nullam aliam remunerationem potest expectare in altera vita, ut docent D. Aug. lib. 5. de Civit. cap. 12. & 15. D. Chrysostr. hom. 67. & 68. ad Populum. D. Hieron. in Ezechiel. cap. 29. & D. Greg. hom. 40. in Evang. ergo congruum est ut per illa possit hujusmodi bona temporalia expectare; ac proinde sunt eorum meritoria de congruo apud Deum.

252. Obijcies 1. D. Thom. loco citato ait: *Si considerentur hujusmodi temporalia bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona, sed secundum quid: & ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid;* sed D. Thom. distinguens ibi meritum simpliciter, & secundum quid, videtur sub merito simpliciter comprehendere omne meritum proprium, sive de condigno, sive de congruo; sub merito autem secundum quid solum meritum improprium, & metaphoricum; ergo videtur sentire, peccatorem non mereri hujusmodi bona merito proprio de congruo, sed tantum metaphoricò. Respondeo negando minorem; nam D. Thom. ibi sub merito simpliciter intelligit meritum de condigno, & sub merito secundum quid intelligit meritum de congruo, quod respectu alterius de condigno est meritum improprium, imperfectum, & secundum quid, prout jam supra diximus.

253. Obijcies 2. Peccator est Dei inimicus; sed inimicus est incapax totius præmii, & remunerationis; ergo peccator non potest mereri neque de congruo, ut à Deo remuneretur, etiam hujusmodi bonis temporalibus. Respondeo inimicum Dei, licet non sit apud ipsum capax remunerationis alicujus præmii sive supernaturalis, sive naturalis, & temporalis, ex debito justitiæ; esse tamen capacem remunerationis ex aliqua operis congruitate, prout jam supra diximus.

SECTIO XII.

Quid possit justus sibi, & aliis de congruo mereri?

254. **S**UPPONO primò, quæstionem non habere locum in augmento gratiæ, neque in aliis donis, quæ homo justus potest de condigno mereri. Patet, quia idem opus non potest simul esse meritorium de condigno, & de congruo ejusdem præmii; alioqui esset simul meritum perfectum, & imperfectum, sive non perfectum: simpliciter, & secundum quid ref.

Tom. 2.

pectu ejusdem, quod repugnat; ergo quoties justus meretur de condigno augmentum gratiæ, aut aliud hujusmodi, non potest simul, & eodem opere idem mereri de congruo.

Dices: Justus potest simul habere plures actus; ergo saltem tunc poterit per unam de condigno, & per aliam de congruo mereri idem augmentum gratiæ. Respondeo negando consequentiam; nam si uterque actus sit aptus ad meritum, uterque (cum sit actus hominis justus) erit meritorius de condigno augmenti gratiæ, & gloriæ, ut constat ex supra dictis. An verò meritum talis operis possit mediatè extendi de congruo ad aliud augmentum gratiæ postea futurum? Ex infra dicendis constabit.

256. Suppono secundò, quæstionem etiam locum non habere in prima gratia hominis justus; siquidem cum de illo sit quæstio, supponit in illo gratiam, saltem primam, non solum auxiliantem, sed etiam justificantem, quæ est fundamentum, & principium totius meriti de condigno, idèquè supponimus, & diximus supra non posse cadere sub meritum; alioqui principium meriti caderet sub meritum, quod diximus implicare.

257. Suppono tertio, solum hinc posse esse quæstionem de aliis donis, & beneficiis gratiæ, quæ supra diximus non posse hominem justum sibi de condigno mereri, inter quæ adnumeravimus perseverantiam finalem in gratia, & ejus reparationem post lapsum, de quibus hic solet inquiri: Utrum homo justus possit illas mereri saltem de congruo? Pro quibus sit:

258. Difficultas 1. Utrum justus possit sibi saltem de congruo mereri donum perseverantiæ in gratia? Suppono ex supra dictis d. 4. à num. 98. quomodo, & in qua acceptione donum perseverantiæ hic sumendum est, & eo supposito: Resolutio affirmativa tenenda est cum D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 9. & Medin. ibid. Vega quæst. 15. de Justificat. & lib. 12. in Trid. cap. ult. P. Valent. quæst. 6. punct. 4. §. 4. Zumel. 1. 2. quæst. 114. art. 9. dub. 8. P. Soar. tomo 3. de grat. lib. 12. cap. 38. num. 10. P. Tanner. tomo 2. d. 6. quæst. 6. dub. 9. num. 228. P. Ripal. tomo 2. d. 94. num. 7. P. Arriaga tomo 4. d. 57. num. 25. P. Vasq. 1. 2. quæst. 114. art. 9. num. 44. P. Egid. d. 8. de Merit. dub. 12. num. 188. P. Amicus tomo 3. d. 35. num. 140. & alii.

259. Probatur primò ex D. Aug. lib. 6. de Bono perseverant. cap. 6. ibi: *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest; sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Confirmatur ex D. Prosper. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 12. *Certissimè noverimus, inquit, nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui, sed multis, qui jam judicio rationis utuntur, idè liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium ei, ut quod non potest mihi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id portuit voluntate non fieri.* Ubi non discessisse à Deo, quod ad donum perseverantiæ spectat, multis ratione utentibus præmium esse meritorum docet; ergo &c.

260. Probatur secundò, quia piæ, & instantes orationes justorum possunt impetrare à Deo, quod petunt necessarium ad salutem, ut tradit D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. & 16. alioqui frustra, & inaniter à Deo peteremus, quod impetrare non possemus, ut dicit D. Aug. lib. de Bono perseverant; sed nullum donum ad salutem est nobis magis necessarium, quàm donum perseverantiæ, ut manifestum est; ergo hujusmodi donum potest orationibus impetrari; ac proinde mereri de congruo; siquidem impetratio de facto cum merito congruo conjuncta